

de accusationibus, quæ contra clericos proponuntur, gravesque contra calumniatores inducuntur pœnæ, ac ea de re tota agi dicitur in conventu clericorum. Duo hi canones sine dubio pertinent ad judicia ecclesiastica, ut rectissime observat Alaspinaeus in Not. opp. p. 185 ed. Neapol. 1770.

14. Temporales quoque causas Christianorum, ethnicis dominantibus, ab Ecclesiæ magistratibus judicatas fuisse, vel ex eo intelligitur, quod per tria sæcula aliquæ certe inter illam hominum multitudinem existere debuerunt controversiæ, quæ ne defuerunt quidem initio Ecclesiæ, ac vivis Apostolis, et tamen nullus unquam Christianus eas detulit ad ethnicos magistratus. Manebat enim alta mente repositum præscriptum Pauli, quod Christianos coram ethnicis magistratibus litigare velabat, et ideo qui Christianæ reipublicæ cum imperio præerant, hanc etiam sui imperii, et officii partem in suum cuique reddendo explicabant (1).

(1) Secundum Apostoli præceptum Auctor constit. Apostol. l. 2 c. 45 apud Cotelierum PP. Apostol. t. 1 p. 256 edit. Amstelædam. vetat, ne quis caudeat ad iudicium gentiliū, imo ne paliamini, ait, ut sæculares magistratus de causis vestris judicent. Et c. 46 pag. ead. ne igitur, inquit, disceptationes vestras gentiles cognoscant. Concilio Hipponensi ann. 598 can. 87 t. 2 col. 1444 coll. Labbæi, ed. Ven. item statuitur, quod catholicus, qui causam suam, sive justam, sive injustam, ad iudicium alterius fidei iudicis provocat, excommunicetur. Hinc S. Augustinus in Psalm. 218 Serm. 24 opp. t. 4 col. 1540 et de Oper. monach. c. 59 n. 37 col. 499 t. 6 ed. Maurin. Ven. 1750, ex Apostoli præcepto repetit iudicandi munus, quo ipse tanquam Episcopus fungebatur. Uterque hic Augustini locus dignus est, qui sedulo expendatur, ut pateat, Ecclesiæ iudicia, vera fuisse iudicia, et veros item iudices fuisse Episcopos, non arbitros litigantium consensu constitutos, eamque Augustini fuisse sententiam, quod Episcopi ex Apostoli lege iudicia exercerent. Inquit enim ipse Augustinus cit. Serm. 24: «Maligni infirmos premunt, et causas suas ad nos ferre compellunt, quibus dicere non audemus: die, homo, quis me constituit iudicem, aut divisorem inter vos? Constituit enim talibus causis ecclesiasticos Apostolus cognitores, in foro prohibens iurgare Christianos.» Habes hic iudicia acta ab Episcopis in invitos, non in eos, qui illos sua voluntate tanquam arbitros elegerunt. Hæc autem ipse Augustinus de Oper. monach. cit. cap. 29 dicit: «mallem manibus aliquid operari, quam tumultuosissimas perplexitates causarum alienarum pati de negotiis sæcularibus vel iudicando dirimendis, vel interveniendo præcipientis. Quibus nos molestiis idem affixit Apostolus, non utique suo, sed ejus, qui per eum loquebatur arbitrio.» Locus hic ostendit, Episcopos non solum fuisse arbitros controversiarum, neque solum eas officiis composuisse, quo spectant verba vel interveniendo præcipientis, sed etiam veros fuisse iudices, quo referenda sunt verba vel iudicando dirimendis, et hæc quidem iudicia habuisse tumultuosissimas perplexitates, quibus verbis iudicialis strepitus, cursusque multiplex indicatur. Hoc ipsum Apostolicum præceptum agnoscit Concilium Carthaginense III

can. 9 t. 2 col. 1041. Collect. Labbæi, et Concilium Carthaginense V can. 1 col. 1454 eod. t. 2.

15. At enim Ecclesiæ Magistratus arbitri potius erant, qui mutuo litigantium consensu dissidia componebant, quam veri iudices, cum neque jus coercionis haberent, neque jus redderent servatis iudiciorum solemnitatibus, neque litigantium eorum sententiis parere cogentur. Sed primum nego, tantum ex consensu litigantium, non item jure suo, et proprio, Ecclesiæ Magistratus fidelium controversias iudicasse. Apostolus Christianos apud ethnicos litigare vetuerat, neque id consilii, sed præcepti loco constituerat (1); et vero consequenti ætate Christiani omnes huic Apostolico præcepto paruerunt. Si Christiani apud ethnicos iudicium exercere non poterant, consequens est, ut ea agerent vel apud *Sapientem*, quem Paulus eligendum suaserat, quique eligi non poterat sine auctoritate eorum, qui reipublicæ præerant, vel apud Apostolos, et Episcopos, hoc est, apud illos, qui summum in Christiana Republica magistratum obtinebant.

(1) Verba Pauli cit. Ep. I. ad Corinth. VI. sunt: *Audet aliquis vestrum, habens negotium adversus alterum, iudicari apud iniquos, et non apud sanctos?* Qui tam graviter objurgat eos, qui hoc audent facere, nonne evidenter ostendit, indignum esse hoc facinus, ac nullo modo ferendum? Quare qui in illis Apostoli verbis non præceptum, sed consilium inesse putant, si mihi non videntur animadvertisse, Paulum legem dedisse adversus ausum, quem ipse graviter reprehendum putabat, et in hunc quidem ausum non consilium, sed præceptum cadere debebat. Consilii quidem est electio Sapientis, qui possit iudicare inter fratrem suum; sed quam dissimili ratione id Paulus urget, quam diversis hoc loco verbis utitur! Revera Apostoli præceptum memorant Auctor epistolæ ad Jacobum, apud Cotelierum t. 1 p. 611; Auctor constitutionum et ceteri, quorum paulo ante facta mentio est; et Concilium Hipponense l. c. excommunicationis pœna plectit catholicum, qui ad iudicium alterius fidei iudicis provocat. Ad observantiam trium sæculorum, quo spatio temporis neminem è Christianis ad ethnicos iudices ivisse scimus. An id tam longo temporis cursu, atque inter ingentem illam hominum multitudinem tam diligenter observatum fuisset, nisi Christianis omnibus persuasum fuisset, ab Apostolo datum non consilium, sed præceptum, cui omnes parere oportebat? Ipse Augustinus Enchirid. de Fide spe et charitate c. 73 opp. t. 6 col. 226 ed. ind. Paulum illis, quæ supra descripsi, verbis non merum dedisse consilium, sed terribiliter vetuisse docet, ne Christiani extra Ecclesiam iudicia exercerent. Neque vero obtrudi potest factum Pauli, qui ad Cæsarem provocavit: Act. Apostol. 25. Ipse enim comprehensus à Festo Præsidente, qui ei vim inferre volebat, necessario provocare debuit ad Cæsarem, hoc est ad eum, cui Festus suberat, quique ejus vim reprimere posset.

16. Itaque Christianorum iudicium in aliorum Christianorum



controversiis non voluntarium erat, quodque à litigantium arbitrio penderet, sed necessarium, quoniam ipsi extra Christianam rempublicam iudices quærere prohibebantur. Atque hi quidem iudices omnem habebant potestatem, et jurisdictionem, qua præditos esse oportet Magistratus, qui reipublicæ cum imperio præsent, et quam Apostoli non semel ostenderant, præsertim Paulus, qui se in *promptu habere declaraverat ulcisci omnem inobedientiam* (1), qui Alexandrum, quod verbis suis *restiterat, devitari* jusserat (2), qui cum, qui sibi non obediebat, *notari*, et cum reliquis fidelibus *commisceri* noluerat (3). Revera toto illo temporis cursu, quo ethnici imperio potiti sunt, adeo certum, fixumque Christianis erat, controversias suas ab Ecclesiæ magistratibus esse definiendas, seque eorum iudicio parere oportere, ut nemo adversari, atque ad ethnicos iudices adversus illorum sententiam querelas deferre ausus fuerit.

(1) Apostolus II ap. Corint. X, 6 seq.

(2) II ad Timoth. IV, 15.

(3) II ad Thessalonic. III, 14.

Notandum quod de proposito habet Can. *André, Dict. Jur. Canon.* art. *Vicaria*, edit. Matrit. alibi citatæ; nempe: *•Durante el tiempo de las persecuciones de la Iglesia en los tres primeros siglos, los obispos juzgaban todas las causas civiles de los cristianos; porque entonces era imposible recurrir á los tribunales seculares, por dos motivos: por el temor de descubrirse; y por el de apostatar, pues se hacia jurar por el jenio del Emperador. • Ita D Pauli prohibitionem: Audet aliquis vestrum etc. explicare tentat eruditissimus Scriptor.*

47. Quod si Ecclesiæ magistratus formidolosis illis temporibus jus non reddebant ea pompa, et splendore, quo ethnicorum iudices, si non erant stipati ministris, qui adversus repugnantes vim adhiberent, si illas iudiciorum ambages, et solemnitates non observabant, non inde certe effici potest, quod ii Christianorum controversias non iudicaverint. Quando Christiani non alios habere iudices poterant, quam Ecclesiæ magistratus, quando hi in Ecclesia imperium, et potestatem habebant, quando ipsis tunc parere cogebantur, quis neget, eos vera iudicia exercuisse, aut saltem, quoties opus fuit, suo jure exercere potuisse? Pompa, ministri, solemnitates nihil ad iudicii naturam pertinent. An non etiam summarium iudicium, in quo hæ solemnitates omittuntur, verum iudicium est?

48. Iudicium faciunt duo litigantes, quorum alter actor, alter reus est, causa, seu controversia, et magistratus, qui iudicat, suaque sententia controversiam dirimit. Quando hæc sunt,

verum iudicium est; cetera non in hærent in rei natura, atque usu fori extrinsecus accesserunt. Itaque si Christiani controversias, iudicia etiam habuerunt, et harum controversiarum iudices non alii esse potuerunt, quam qui Christianæ reipublicæ cum imperio præerant, quibus omnes parere debebant semperque paruerunt.

49. Atque hæc quidem in Ecclesia iudiciorum ratio fuit, donec ethnici rerum potiti sunt. Delato ad Christianos imperio, consequens erat, ut illa inter ecclesiasticam, civilemque rempublicam conciliaretur concordia, quæ inter Christianorum, atque ethnicorum societatem esse nequiverat. Ecclesiæ magistratus curam abjecerunt earum rerum, quas antea administraverant, quod dedeceret, ethnicos magistratus miscere se in rebus Christianorum, curamque retinuerunt rerum spiritualium, atque omnem in clericos potestatem. Nam utraque respublica, civilis, et ecclesiastica, in suo genere perfecta, ac distincta est, utraque suos habet magistratus, et subditos, certasque res suæ potestati subiectas.

(N. S. Ergo in Hispania nostra, à tempore scilicet quo Gotthi Catholicam Religionem amplexi sunt, tanta fuit inter Sacerdotium, et Imperium concordia, ut nec Episcopi præscriptos à Principe Canones constituere, nec Reges ipsi ad ferendas pro regimine populi Constitutiones, Episcopos sibi adseiscere designati fuerint. Porro Reccaredus ipse, post ejuratam Arianam hæresim, decernendum voluit à Patribus Concilii Tolet. III, quod Symbolum fidei inter Missarum sollempnia, ad Orientalium Ecclesiarum exemplum, caneretur; eujus quidem pietatem æmulati, qui sequuti sunt Reges, condendorum Canonum *Tomum* in Conciliis proferre consueverant. Et eadem Syn. Tolet III, ejusdem Reccaredi consentiente elementia, sancivit can. 44, ne Judæi publicis officiis præficerentur; id quod agente potissimum Sisenando, confirmavit Syn. Tolet. IV can. 65, alias 64. Eodem sequutis temporibus, moribus inductum est, ut coactis à Regibus Episcoporum, et Procerum Conventibus, nedum de Ecclesiastica reformanda disciplina, sed et de Principis electione, de honore officii Palatini Viris debito, et de infimæ plebis coercendis excessibus ageretur.

Fortunata hæc utriusque Potestatis concordia, irruentibus Saracenis extincta, sæculo IX reviviscere visa est. Unde in Syn. Oveten. sub Alphonso III an. circiter 875, in Legion. sub Alphonso V an. 1020, in Cojacen. sub Ferdinando, et Sanctia an. 1050, in Oveten. sub Urraca, ejusque Filiis, et Sororibus, ipsarumque Filiis an. 1115, in Palent. sub Alphonso VII an. 1129. Episcopis, Abbatibus, et Illustribus Viris undique collectis, Canones constituti sunt ad Ecclesiæ simul, et populi negotia spectantes. Quocirca præf. Syn. Legion. cap. 6 decrevit, quod *iudicatio Ecclesie Judicis, agatur causa Regis, deinde populorum.* Et Compost. an. 1114 cap. 14, quod omnis *causa in præsentia Pontificis, Judicium, et Canonicorum intinetur, et definiatur.*

Porro Hispaniarum Patres, Apostoli doctrinam sequentes, quotidiana lai-



corum jurgia discutiebant, terminabant. Inter hæc vero præcipua eorum cura erat, ut divites si quid adversus pauperum, viduarum, aut orphanorum bona molirentur, coererent: Syn. Tolet. I can. 41, et Tolet. IV, can. 52, alias 51. At ne inde colligas, Patres nostros sese hujusmodi causis quasi Judices immiscuisse. Episcopi illi, uti Pastores populi decebat, non nisi ut compescerent simultates, vitarentque litigantium odia, *arbitratorum more*, piis, et Evangelicis exhortationibus, frequentia laicorum dissidia terminanda suscipiebant; qui si nihil proficerent, sæculare iudicium adeundum erat, *ut quos Sacerdotalis admonitio non flectebat ad justitiam, Regalis Potestas ab improbitate coereret*: Syn. Tolet. præfat. Can. 52. Quin et si quæ in laicorum bonis decernenda esset ab Episcopo coactio, *Regii exsecutoris instantia* peragenda erat: ead. Syn. Tolet. IV can. 5.

Hanc judicandi methodum, quum sæcularem Potestatem nedum non offendere, quin potius præstantissimum esse cavendis criminibus remedium, piissimi Reges animadverterent, tantum abest, ut eam improbarent, quin et ipsi quandoque Reges Episcopos hujusmodi cognoscendis causis Judices constituerent: Syn. Tolet. IV can. 51, al. 50. Unde quum in quibusdam Hispaniæ partibus parentes nonnulli, humanitatem exuti, filios, ut liberius libidini inservirent, interimere non perhorrescerent, Reccaredus Judicibus injunxit, *ut hoc horrendum facinus cum Sacerdote perquirerent, et adhibita severitate cohiberent*: Synod. Tolet. III can. 17. Recesvinthus quoque decrevit, ut ab injuria à Judicibus illata, ad Episcopum provocari posset, qui coacto aliorum Episcoporum, et Nobilium Conventu, cogeret iudicem sententiam emendare; quo renuente, Episcopus posset per semetipsum sententiam ferre: Leg. 58 tit. 4 lib. 1 *Fori Judic.* Quam quidem confirmasse videtur Syn. Tolet. IV. can. 3: *Omnes, qui causas adversus Episcopos, aut Judices, aut potentes, aut contra quoslibet alios habere noscuntur, ad idem Concilium concurrunt.* Postremo Ervigius in Syn. Tolet. XIII can. 2 constituit, ut in nullum ex Palatini ordinis Viris animadverti posset, nisi is in *publica Sacerdotum, Seniorum, atque Gardingorum discussione reductus, et justissime perquisitus, aut obnoxius reatui detectæ culpæ Legum pœnas excipiat, aut innoxius iudicio omnium comprobatus adpareat.*

Hæc Episcoporum potestas in laicorum dijudicandis causis, obtinuisse adhuc sæculis XI, et XII colligitur ex præf. Syn. Legion. can. 6, et Palent. cap. II. At sæculo XIII, licet Reges Comitia ex utriusque Ordinis hominibus congesta habere consueverint, Ecclesia tamen suos sola Conventus celebrare cepit, uti Synodum Penna-fidelensem an. 1502, Vallisoletanam an. 1522, etc. Tum Collectio *Decretalium* Gregorii IX, ad Civilis juris exemplum adornata, *Partitarum* Codex ad præscriptum ejusdem Collectionis digestus, frequens Legatorum cum amplissimis facultatibus adventus; hæc in causa fuere, quod Ecclesiæ Forum à civili penitus discerneretur, ita ut Guillelmus, Episcopus Sabinensis, et Apostolicæ Sedis Legatus, in præfat. Synod. Vallisolet. cap. 5, adserere non dubitaverit: *Ecclesiastica Jurisdictio à sæculari distincta dignoscitur.* Igitur inductis sæculo XIII Gregorii IX, et *Partitarum* Codicibus, Episcoporum in causis sæcularibus potestas abolita est; ita ut Alphonsus XI laicis inhibuerit, ut in causis profanis Ecclesiasticis se sisterent Judicibus: leg. 7 tit. 4, lib. 4 *Novis. Compilat.* Et juramenta in contractibus mere temporalibus interponi vetuit: leg. 6 tit. 1 lib. 10 *ibid.*

Quod vero ad causas capitales, seu criminales attinet, tanquam Episcopi munus habebatur, deprecatoris vicem apud civilem Magistratum suscipere pro iis, qui capite erant damnati, et illis veniam impetrare. Hoc munere non semel Ambrosius, et Augustinus functi sunt: Paulinus in *Vita Ambros.*,

Augustinus *Epist.* 159, Syn. Sardicensis can. 7. Cave tamen putes Episcopos ea mente facinorosorum hominum patrocinium suscepisse, ut publicæ Justitiæ viam obstruerent; at vero duabus potissimum de causis. 1 Ut dederent notam illam nimie crudelitatis, quam christianis persæpe gentiles inurere studuerant, omnibus significantes, Ecclesiam, utpote piam parentem, à sanguine, et nece, licet improborum, abhorrere. 2 Ut miseri, et male conciliati illi, qui capite plecterentur, mortem vitantes, suum ævum producerent, et laboriosis pœnitentiæ operibus sua crimina possent expiare.—In hisce etiam criminalibus causis Episcopi Hispaniæ vetabantur esse iudices: Syn. Tarracon. can. 4, Emerit. can. 15, et Tolet. XI can. 6; præsertim quando crimen capitis sententia dignum censeretur: Syn. Tolet. III can. 17. In eo tantum casu poterant, quum *jurejurando supplicii indulgentia promittatur, non ubi discriminis sententia præparetur*, uti decrevit Syn. Tolet. IV præf. can. 21. Mansuetudo quippe à Christo Sacerdotibus commendata, adeo alte Patrum nostrorum mentibus insederat, ut eos ab effusione sanguinis abstereret omnino; unde Patres Syn. Tolet. IV omnes, num. 69, Sisenandum exorant, ut in capitis sententia ferenda, servata in offensis mansuetudine, non severitas magis, quam indulgentia polleret. Videsis can. 75 § *Te quoque.*

Sed hic animadvertere abs re non erit, ex Ambrosio *de Officiis* lib. 5 cap. 9, Episcopos in causis civilibus, ac præsertim pecuniariis, nunquam apud Judices precatores accessisse; cujus rei satis idoneam profert rationem his verbis: *In causis pecuniariis intervenire non est Sacerdotis, in quibus non potest fieri, quin frequenter lædatur alius, qui vincitur, quoniam intercessoris beneficio se victum arbitratur.*

20. Ad Ecclesiam pertinet divinarum sacrarumque rerum administratio, atque in his nulla clericorum, et laicorum distinctio est, sed omnes qui per Baptismum inter Ecclesiæ filios recepti sunt, ejus potestati subjiciuntur. Civilis potestas curat res temporales, et in his quidem in omnes suos cives imperium exercet, uti etiam Ecclesia imperio utitur in cives suos, qui clerici sunt. Utraque respublica omnem habet potestatem in res, civesque suos, utraque imperat pœnisque coeret eos, qui latis ab se legibus non obtemperant.

21. Sed ecclesiasticæ coercionis summus est gradus ejectio eorum, qui in religionem, vel in societatem peccarunt. Si quis religionem violare ausus fuerit crimine, schismate, hæresi, neque monitus redierit in bonam mentem, eum, sive clericus, sive laicus sit, Ecclesia ejicit à sacris, et societate Christianorum, propter potestatem, et officium, quod habet in omnes Christianos, curandi, regendique cuncta, quæ ad religionem pertinent. Qui aliquo crimine societatem læsit, si clericus sit, Ecclesiæ iudicio subest, non propter rem ipsam, quæ propria est civilis reipublicæ, sed propter personam, quia scilicet ecclesiasticæ reipublicæ civis est. Itaque in eum Ecclesia animadvertit carcere, aut alia pœna corporali (1): et si gravius crimen sit, cui



non parem habeat pœnam Ecclesiæ lenitas, et mansuetudo, cum de gradu dejicit, hoc est, non amplius suæ reipublicæ civem esse sinit, sed ad instar ceterorum laicorum, subjicit civili potestati, ipsa vero in hunc hominem, qui jam suæ reipublicæ civis est, imperium exercet, quod habet in reliquos cives suos, eumque coercet morte, ceterisve pœnis, quæ sunt à civilibus legibus constitutæ.

(1) Agam de his pœnis copiose Libro 4, ubi de criminali Ecclesiæ potestate disserendum erit. Interim, quoniam carceris feci mentionem, hoc animadvertam, jam inde à IV sæculo Ecclesiam ad puniendos clericos criminum reos, carceres habuisse, qui *Decanica* appellabantur. Patet id ex Arcadii, et Honorii constitutione, quæ est L. 50 cod. Theod. de Hæret. Hos carceres inemorant etiam Justinianus Novel 79 c. 2, et Capitularia Caroli M. l. 5 c. 378 apud Baluzium t. 1. col. 604 ed. Ven. 1772, ubi dicitur in *decanicis*, alii in *catenis*, *Ecclesiæ recludatur; competenter pœnas luiturus*. In Græcorum paratillis apud Henricum Justellum Biblioth. jur. canon. t. 2 1555, habentur hæc: *in claustrum ecclesiasticum conjiciantur*. Eorundem carcerum mentio est apud Basilium Diaconum in libello ad Theodosium, et Valentinianum in actis Concil. Ephesini par. 1 c. 50 n. 3 col. 977 t. 3 concilior. collect. Labbæi ed. Ven. et apud Gregorium II. in Ep. ad Leonem Isaur. t. 8 concilior. col. 671 ejusdem collect. Consule Du-Fresnium comment. in Paul. Silent. p. 594, et Jacobum Gothofredum in cit. Leg. 50 cod. Theodos. t. 6 p. 466 edit. Lipsiæ cit., qui tamen vir doctissimus hoc loco deridendum se præbet, cum fatetur in *decanicis*, quæ *procul dubio loca conclusa fuere, immorigeros clericos asservari* consuevisse; inquit tamen, quod *Ecclesia his temporibus jurisdictionem proprie non haberet, sed audientiam tantum*. Sed quomodo sine jurisdictione potuisset Ecclesia clericos in carceres detrudere, in iisque conclusos, et custoditos retinere? An signum esse luculentius, et præclarius jurisdictionis potest? Decanica Secretarii partem fuisse putat Binghamus Orig. eccl. l. 8 c. 7 §. 9 t. 3 p. 264 ed. Halæ Magdeburg. 1758. De verberibus, exilio, muletis pecuniariis, ceterisque pœnis, quæ ab Ecclesia dabantur, sequenti libro suus erit agendi locus. Confer præterea la Cerdam Adversar. c. 59 n. 2.

22. Ita sane postquam ad Christianos Imperatores rerum summa delata est, Ecclesia non solum de rebus spiritualibus (1), sed etiam de civilibus clericorum controversiis (2), adhibitis solemnitatibus, quæ in veris, perfectisque judiciis adhibentur (3), et in suo quidem foro (4) judicavit. Quin etiam, ne qui clericus, minus ecclesiastico giudice contentus, ad laicum iret, graves constitutæ sunt pœnæ, quibus hujusmodi facinus coerceretur (5). Hæ autem clericorum controversiæ, ut plurimum, in provinciali synodo (6), sed sæpe etiam Episcopi judicio dirimebantur (7).

(1) Cunctas de religione controversias à sola Ecclesia definiiri posse, ac

semper definitas fuisse, inter catholicos omnes constat. Sed in his definiendis judicariam quoque methodum adversus hæreticos adhibitam fuisse, facile intelligit quisquis ad ea advertat, quæ in conciliis gesta sunt. Nicæni Patres, antequam in Arium sententiam ferrent, eum ad synodum vocarunt, tum eum, tum ejus accusatores audiverunt, denique re cognita, expensaque diligenter, cum plane convictus esset, adversus eum sententiam protulerunt, sicuti patet ex Socrate l. 1 c. 6 p. 41 ed. Vales. Cantabr. 1720 aliisque. A Patribus Ephesinis ter citatus, atque ad synodum vocatus est Nestorius, ut adesset juxta canones (quorum nomine Beveregius cod. can. Primitiv. Eccles. vindic. l. 1 c. 5 n. 4 apud Cotelerium PP. Apost. Tom. 2 p. 25 designari putat can. Apostolor. 74); *quoniam nihil*, inquebant, *ex iis omnibus, quæ ad ecclesiasticum ordinem pertinent, prætermittere par est*. Legatorum, quos postremo misit Concilium, monita fuerunt, *quod nisi coram de omnibus, quæ scripto contra te allata fuerint, sive citra scriptum, te expurgaveris*, eum Synodus condemnasset. Vocatus his, et tertio Nestorius venire noluit, atque in contumacem, et absentem sententia lata est, quæ omnia narrantur in relatione Concilii ad Cælestinum Pont. Tom. 3 Conc. Labbæi Ven. ed. col. 4190. Vide etiam Bossuetum Remarques sur l'Histoir. des Conc. d' Ephese et de Chalcedoine de M. Dupin. t. 15 ed. Leod., et Cl. Card. Gerdium Confutazione di due libelli contro il Breve etc. t. 1 p. 319 seq., à quibus ostenditur, quemadmodum totum illud iudicium contra Nestorium jussu Cælestini P. actum fuerit. Trina monitione Eutyches à Concilio Constantinopolitano, et trina item monitione Dioscorus vocatus est à Concilio Chalcedonensi; ac denique expensis omnibus, contra utrumque lata sententia est: quæ omnia patent ex relatione ejusdem Concilii ad Leonem apud Labbæum t. 4 col. 1778 et col. 1811. Quid aliud hic restat, ut omnes judiciorum solemnitates adhibitæ videantur? Concilii Patres, qui ejus controversiæ iudices sunt, reum citari jubent, repetunt bis, et tertio citationem; quæ solemnitas iudiciorum est à legibus inducta, ut non nisi post unam peremptoriam, aut tres simplices citationes, adversus contumacem reum sententia proferatur. Emisis tribus citationibus, itemque secundum judicariam methodum elapsis terminis, sententia emittitur. Quid aliud egisset iudex laicus, si de re sui fori propria judicare debuisset? Atque in omnibus aut Episcoporum depositionibus, aut hæreticorum condemnationibus occurrunt accusationes, citationes, testes, iudices, cetera ad verum, perfectumque iudicium necessaria.

(2) Concilium Nicænum can. 5 t. 2 collect. Labbæi ed. Ven. col. 55. Constantinopolitanum I. Can. 6 cit. t. 2 col. 1128 Carthaginense I. Can. 10 col. 1247 eod. t. 2. Carthaginense IV. Can. 25 eod. t. 2 col. 1459. Andegavense Can. 1 col. 18 t. 5 col. 526. Agathense can. 52 cit. t. 5 col. 526. Aurelianense III. Can. 52 eod. t. 5 col. 1281. Aurelianense IV. Can. 20 cit. t. 5 col. 1567. Veticum can. 9 col. 81 eod. t. 5. Matisconense I. Can. 8 col. 662 t. 6. Innocentius I. Ep. 41 ad Vietric. Rothomag. c. 5 apud Constantium Epist. Pontific. Roman. col. 742. Gelasius P. can. 15 c. 41 q. 1 Joannes VIII. Can. 41 dist. 96.

(3) Ecclesiam in exercendis judiciis adhibuisse methodum judicariam, ostendunt tum ea, quæ paulo ante diximus præsertim de Nestorio, Eutyche, Dioscoro, tum indoles ipsa rerum, de quibus Ecclesiæ iudicio agendum erat. Definendæ erant controversiæ, quæ fervebant inter duos, pluresve clericos, qui ad laicos iudices ire non poterant. Quomodo hæ controversiæ sine vero, perfectoque iudicio definiiri potuissent? Revera in hoc iudicio erat causa, actor, reus, iudex, non deerat citatio, testes, probationes, cuncta demum, quæ in judiciis requiruntur. Iudex pendebat actoris petitionem, rei que ex-